

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0136

0134

0140

0130

0145

0125

0185

0085

0235

0035

0635

Ende

Anfang

125

quia statim eam suis execrationibus detestabili Machometo
consecrabunt: hoc facto nullum Christianum intromittent. Sic
ergo regressi sumus ad loca nostra.

Quarto die prandio sumto descendimus simul montem
Syon, quasi occulte ducente nos Judeo, qui dixit, quod quae-
dam occulta nobis vellet ostendere. In descensu autem veni-
mus ad latus australe ecclesiae illius, quae stat juxta templum
Domini, et ibi tempore Christianorum fuit ascensus per gradus
lapideos ad altam portam, per quam erat ingressus in illam
ecclesiam. Ad hanc portam per ruinas murorum ascendimus
et murum portae deosculati sumus propter indulgentias ple-
narias, quae ibi habentur (††). Dicitur enim, quod XV gra-
duis ad illam portam fuerint, per quos Virgo Maria [et] puer
triennis sine duce miraculose ascenderat in templum. Ad hos
gradus confecit David rex XV psalmos, qui dicuntur psalmi
graduum. Hunc locum visitavimus cum timore et silentio,
quia in periculo fuisset, si Sarraceni nos ibi conspexissent,
ideo etiam tempus quietis eorum elegimus. Ab illo loco con-
sequenter descendimus et ad vetustissimum murum venimus,
fortem nimis, de ingentibus saxis quadratis factum, et murus
ille est competenter altus, quamvis multo altior fuerit, sicut
ex ruinis deprehendi potest, est enim locus plenus quadratis
lapidibus dispersis per gyrum. Dicitur enim, quod super mu-
rum illum steterit domus saltus Libani, quae erat domus
regia, quam aedificavit Salomon, cuius descriptio habetur
3 Reg. VII., ubi dicit: Gloria in etc. Quae ideo domus saltus
Libani nominabatur, quia erat de lignis supernis aedificata,
quae erant excisa de saltu Libani. Magister in Spec. Histor.
dicit quod haec domus erat de duplice materia, pars inferior
erat lapidea, et dicebatur Nethota, i. e. pigmentaria, in qua
reponebantur aromata et pigmenta ad usus templi, et domus
regia, ut ex beneficio terrae et muri diu vigerent quasi re-
centia. Pars superior erat lignea, de lignis Libani, unde est
dicta domus saltus vel domus Libani vel domus saltus Libani.
Quidam tamen putant, eam ex hoc sic esse vocatam, quia
circumquaque consita erat arboribus et viridariis mirae (**B**)
recreationis, juxta densitatem saltus Libani, et in parte illa
superiori reponebantur arma, ut beneficio ligni rubiginem non

